1841

In obitum

Mariae Beatricis Victoriae Sabaudicae

uxoris D. N. Francisci IV.

Hexametri

Ioan. Bapt. Tarasconi

presbyteri regiensis



1841





IN OBITUM

MARIAE BEATRICIS VICTORIAE SABAUDICAE

UXORIS

D · N · FRANCISCI IV ·



HEXAMETRI *

Primus Atestinae populis ditionis ad aures
Nuntius acciderat lento tabescere morbo,
Nec dehinc arte tua, validam quam senserat ante,
Goldoni medicûm clarissime, fidere posse
Augustam patriae matrem; quum protinus omnes
Indoluere urbes, pagi, campestria et alpes,
Invasitque animos damni formido propinqui.
Nec mora, quod superest tanto in discrimine, sedes
Sacratas adeunt omnes, caraeque salutem
Exposcunt dominae precibus, caelumque fatigant.
Ante alios adsunt, queis velat candida crines
Vitta, sacerdotum primi, et Levitidis ordo
Gentis; tum proceres, subitoque excita dolore
Turba virûm matrumque, ac proles innuba. Ad aras
Omnis suppliciter sexus gemit, omnis et aetas.
Vos uni in tenebris, sociam quos cernere egestas
Non patitur lucem pudibunda, cietis amaros
Fletus cum gemitu orantes, stet dulce malorum
Solamen, vitae innumerae serventur in una.
Turicremis veluti prunis quum sacra piantur,
Surgit odoratis nubes altaribus, atque
Mille pio ducens glomerata volumina fumo
Crescit in immensum, et summi laquearia templi
Ambiit ascensu; volitans vapor omnia replet.
Haud aliter missae ardenti tot pectore voces,
Tot gemitus populorum, iterataque vota precantum
Ibant ad superas oras, caelumque tenebant.
Jam Pater omnipotens flecti, et dare pronior aurem
Visus erat; pulcras humeris aptaverat alas

---

* Excerpti ex libro, cui titulus *Memorie ed omaggi funebri per la morte dell' Arciduchessa* MARIA BEATRICE VITTORIA *di Savoja, d' Austria d' Este, Duchessa di Modena, Reggio, Mirandola, Massa, Carrara ec. ec. ec.*

In terram reditura Salus, cui fida parabat
Laetitia, et Vigor ire comes, ridensque Venustas:
Ecce, Beatrici qui primo a limine vitae
Obtigit aetherius custos, neque casibus usquam
Defecit dubiis, studio potiora rogandi
Divinum accessit solium, et sic farier orsus:
O Pater, o vitae mortisque aeterna potestas,
Qui caelum et terram, qui tristia regna gubernans
Fines cuique suos, poenasque ac praemia ponis;
Haec, quam mortales propriam sibi longius optant,
Me duce tergeminas partes, quas ipse dedisti,
Egit, progenies, conjux et regia mater.
Nunc arces ineat superas, et coetibus, oro,
Caelicolum accedat, jussique fideliter actu
Functa ministerii extremo jam gaudia pacis
Promissae accipiat. Quos a puerilibus annis,
Et quantos tulerit casus, ut pectore toto
Foverit invictae caelestia semina mentis,
Ipse tenes. Neque enim tranquilla in pace, vel urbe
Natali et notae tectis regalibus aulae,
Sed patria extorrem, circumque tonantibus armis,
Educi, et rebus voluisti assuescere duris.
Hinc ea vis animo humanis interrita damnis,
Qua veteres aequavit non semel heroinas;
Hinc fluxas contemnere opes, contemnere honores,
Quaerere te solum, te solum edocta timere:
Hinc tibi cuncta ferens accepta in culmine rerum
Supremo, veluti indignam et nil tale merentem
Pulveris exigui partem, sternebat humi se,
Ut te cujus eunt nutu, nutu omnia cessant,
Atque tua efferret sublimi munera laude.
Sic fore sollicitis jucunda parentibus olim
Jam spes, exsilii et saecli lenimen iniqui,
Affulsit, simul ac facilem videre puellam
In primum virtutis iter, quacumque vocarent,
Se dare, cumque illis alacrem contendere cursu,
Quosque paterna domus, quos et materna beatas
Protulit ad sedes, et Roma altaribus auget.

Quid referam inde novis quantum virtutibus usque
Creverit eximio dignissima principe, junctam
Cui thalamo et sanctae voluisti foedere vitae?
Quae pietas; quam rara fides; quae cura pudorem
Cum forma egregia nodo sociavit amico!
Quam sincerus amor, quo conjugis ipsa labores
Leniit, imperiique leves effecit habenas!
Obvia quin etiam certae pro compare morti
Tela per et flammas, hora poscente, ruisset;
Ni meliore via quaecumque pericula caro
Avertat capiti, dum sanctis anxia votis
Nocte die vacat, et tutelam arcessit ab alto.
Regali exemplo moniti retulere minores
In melius cultum atque jugalis munia vitae.
Sed nihil e titulis tot habet sua gloria majus,
Quam quod per geminas divino munere natas,
Ac totidem juvenes maternum nomen adepta,
Terreni hos regni, regni caelestis honore
Praestiterit dignos. Namque ipsa et mater et altrix,
Ab latere ipsa operum rectrix, morum ipsa magistra
Non luxu solvit, studiis duravit honestis:
Relligione animum firma cohibere, priusque
Se regere imperio quam alios, atque altius omni
Exseruisse caput vitio, virtute tuentes
Magna, non fastu magnae decora inclita stirpis
Admonuit, fecitque simul; sic credita natis.
Jam populi cedant; quos terrae debuit, annos
Implevit; parcant seras urgere querelas;
Nec requiem fessae, neque aperti limina caeli
Invideant. Hic illa bonis majoribus aucta
Non ope destituet priscos et amore clientes.
Praeterea subolem cernant, solatia luctus;
Omnis in hac genetrix illis post funera vivet.
Si tardum haec faciunt nondum bene nota levamen;
At superat princeps, quo experti sospite norunt
Nusquam posse aliquid communi deesse saluti.
Talibus oranti, quae clarum servat olympum
Turba Beatrici cognato a sanguine juncta,

Hinc atque hinc aderant densi, cupidique favendi
Extulerant palmas, atque addere plura volebant;
Quum simul ipsi, omnesque Dei incipientis ab ore
Caelicolae pendent venerabundi, tremit aether:
Nil opus ulterius; dabitur quod poscitis; et nunc
Stat nostra, ut semper, caussa a meliore voluntas.
Nec mercede tamen mortalia vota carebunt;
Nam data si repeto, non inferiora reponam.
At tu dilectam revola miseratus alumnam,
Cui praesens animos addas in morte, novumque
Altius inspires patriae caelestis amorem,
Quo magis humana decedere gaudeat ora,
Et peragat, quae summa manent, certamina victrix.
Dixerat. Ille potens voti se mittit ab axe
Stellifero, citiusque, animo quam fingimus ipsi,
Constitit in terra, neque differt jussa minister.
Quam tibi laetitiam, aut grato quas pectore habebas
Tunc laudes, regina, Deo, quum missa teneres
Munera, suspiceresque polum in sua templa vocantem?
Non ita laetatur quum fessus navita portum,
Aut exsul patriam, aut sitiens cerva aspicit undam.
Interea jam freta Deo, jam laeta laborum,
Quos passa et patitur, matrona augusta futuri
Discidii dat signa suis. Quem cedere ab aegra
Non oriens, non occiduus sol viderat, adstat,
Et tacito vir alit corde insanabile vulnus:
Effusi in lacrimas, communia pignora, circum
Stant nati. Unus abest numero, isque profectus ab oris
Usque Borystheniis jam cursu adventat anhelo.
Quo, miser? heu! matris funus, non ora videbis.
Illa autem prohibet gemitus, mulcetque dolentes
Oblata ipsius morientis imagine Christi:
Extremos monitus, extrema dat oscula, et orat
Absenti referant pro se, reddantque fideles.
Hic vero et vultum et notum mutata colorem,
Divinam veluti speciem ac venerabile lumen
Induerit, major mortali apparuit ore.
O, quod sancta moves, Pietas, da pandere dignum

Aurea Christiadum revocari ad tempora factum.
En magnus cum prole genu Franciscus utroque
Uxorem ante suam nixus, similisque roganti.
Quid cupiant moribunda agnovit; quaque potest vi
Attollit dextram, fingitque per aëra formam
Ter crucis in pronos, terque illis fausta precatur.
Jam felix, quamvis inconsolabile nobis
Interea desiderium luctumque relinquas,
I vinclis animam membrisque exuta Beatrix,
Quo Deus invitat, tutamque adducit amicus
Pennipotens. Viden'? Haud segnis tibi regia caeli
Fulgentes aperit portas, tibi sidera plausu
Ingenti resonant, consanguineusque propinquat
Laetus, et ante omnes fert obvius oscula coetus.
Quas habet aerumnas, quae terra pericula, functae
Nunc tibi parta salus vera, et pax inscia finis.
Gaude sorte tua, neque nostrae oblivia ducas.
At, quando frueris sine nube Deo, atque profaris
Gratior et coram, fer publica vota juvaque.
Vivat Franciscus felix longumque superstes
Cum subole, ut nobis in te quod flemus ademptum,
Id salvum innumeros annos potiamur in illis.

IOAN. BAPT. TARASCONI
Presbyteri Regiensis

MUTINAE A · MDCCCXXXXI ·
EX OFFICINA FISCALI

